

A 231
4

Hist.

III. C. 3.

17

AVSPICIIIS DIVINIS
CONSENSV AMPLISSIMAE FACVLTATIS
PHILOSOPHICAE
PRO RECEPTIONE IN EAMDEM,
SPECIMEN EX THEOLOGIA NATVRALI
DE
NECESSITATE ET
CRITERIIS DIVINAE
REVELATIONIS,

A. MDCCXLIII. D. XXI. OCTOBR. HORA VIII--XII.
IN AVD. PHIL.

PVBLICE DEFENDET

M. IOHANNES AVGUSTVS
LVBECK,

RESPONDENTE

DAVID BRVHN,

MEMEI A - BORVSSO.

PHIL. ET S. THEOL. STVD.

REGIOMONTI, LITTERIS REVSNERIANIS.

ACADEMIAE REGIOMONTANAE
PATRIBVS CONSCRIPTIS,
RECTORI MAGNIFICO,
ILLVSTRI DIRECTORI
ET CANCELLARIO,
VIRIS SVMME REVERENDIS, CON-
SVLTISSIMIS, EXPERIENTISSIONIS,
EXCELLENTISSIONIS, AMPLIS-
SIMIS
DOMINIS SENATORIBVS,
*Patronis ac studiorum Promotoribus summa
obseruantia colendis, deuenerandis,*

Dissertationem hanc cum intimo omnigenae
prosperitatis voto ea, qua par est, subie-
ctione offerunt dedicant,

PRAESES ET RESPONDENS.

SPECIMEN EX THEOLOGIA NATVRALI
DE
NECESSITATE ET CRITE-
RIIS DIVINAE REVELA-
TIONIS.

§. I.

DEUS quia distinctissime omnia cognoscit, voluntas vero ex vulgari consuetudine ac loquendi usu nihil aliud sit quam inclinatio ad bonum cognitum, DEo autem tamquam Enti spiritus nomine & essentia ornato, praeter intellectum, voluntas quoque competat, & omnes realitates, quae animae nostrae inexistunt, DEo tribuendae sint in gradu absolute summo (III. *Wolfii Theol. Nat. part. II. §. 70.*) hinc voluntas diuina erit, inclinatio validissima ad bonum distinctissime cognitum.

Schol. Sub hac voluntatis notione, soepissime quoque intelliguntur omnia decreta, consilia, mandata diuina & veritates practicae, quae hominibus proponi solent, qualem significatum receptum & nos in sequentibus interdum tuebimur.

§. II.

Naturale in genere dicitur, cuius ratio in essentia & natura entis continetur in mundo autem adspectabili materiali, Naturale adpellatur, cuius ratio in essentia & natura corporum continetur; Et quia contraria iuxta se posita magis illucscunt, hinc intellectu iam facilis erit definitio & supernaturalis, quod nempe sit omne id, cuius ratio sufficiens in essentia & natura entium immaterialium & corporum non continetur, quod etiam dicitur miraculum, & duobus alias quoque, ut aiunt, verbis definiri solet, per euentum supernaturale. Manifestatio vero in genere nil aliud inuoluit, quam ideam distincte completam,

A 2

quam

4
quam mihi acquirere datur de re antea plane ignota vel saltim admodum obscura.

S. III.

Reuelatio est miraculosa & supernaturalis voluntatis diuinae manifestatio.

Schol. I. Secundum notionem communem , alias quoque reuelatio definiri solet , per ignoti cuiuscunq[ue] manifestationem sic e. g. princeps animi sui sensa , illis , qui a consiliis ipsi sunt , dicitur reuelasse , quia nempe id nunc exsequendum esse satis aperte intelligunt , quod antea ne quidem conjectando experiri potuerunt ; Sic quoque DEus , admirandam suam gloriam & maiestatem , omnibus rebus creatis intelligentibus , per vniuersitatem productionem & continuum eiusdem conseruationem revealauit , quia id , quod antea de attributis suis aeternum delituerat , nunc per pulchre conspicendum nobis obuenit . Hoc vero loco reuelationem strictissime sumtam indigitamus , scilicet , benuolam illam medii reconciliationis patefactionem quae in libris sanctis a iudea & christiana ecclesia pro verissimo DEI ipsis verbo & mandato receptis continetur , quae manifestatio certe naturam voluntatis diuinae nobis optime exponit , vt pote quae tantummodo circa bona hominibus largienda , mala vero ab iisdem auertenda vnicce versatur , quod vero attributum diuinum sane fulgidissimo lumine exsplendescit in reuelatione humano generi exhibita ; Vel desideras L. B. cumulo criteriorum exornatam definitionem reuelationis , adeas diff. cel. Riuini hac de materia Lipsiae 1729. editam , vbi ille ita : Reuelatio diuina est doctrina a DEo ipso speciali modo hominibus tradita , & a viris sanctis litteris consignata , quae homines de summo bono instruit , mediaque ipsis sufficientia rationique incognita suppeditat , quibus summae compotes fieri queant felicitatis .

Schol. II. Interim nemo nobis vitio vertet , quod huius reuelationis necessitatem & quidem absolutam in sequentibus simus adstructuri , quia absconum esset , rei iam praefentis & sensus nostros adficientis existentiam certam & indubitatem demum demonstrare velle , vti hoc adserto S. R. Mosheim contra Natu-

Naturalistas & Deistas qui demonstrationem necessitatis nostrae reuelationis efflagitabant, in praef. libri Humphrey Ditton de Verit. R. C. usus est, nam α) ipse auctor huius obiectionis, librum promisit, quo necessitas reuelationis in aprico posita & demonstrata esset, certissimo documento, operam hac in re collocatam minime superfluam & pro nihilo esse reputandam, vid. Celeb. in hac *Albertina Prof. Knutzens Tract.* von der Warheit der christl. Religion p. m. 44. edit. 3. β) notum est, summos Mathematicos e. g. *Wolfium* in Elementis Matheſeos latinis, edit. II. Tom. V. continentis, axiomata, quae alias nulla indigent demonstratione, magno tamen adparatu demonſtrasse, ut ita rebus suis certiorem concilient adſensum, & ne minimam falſitatis ſpeciem adhaerere ſinant propositionibus, nemo autem veritatis cupidus, talem conatum hucusque reprehendit. Etenim melius est, vt nos in veritate defendenda & proponenda magis circumſpecte geramus, quam alias ſolitum ac conſuetum fit.

§. III.

Quia DEus continua & omni gradu perfectissima gaudet actuositate (*Wolfi Theol. Nat. P. I. §. 105.*) hinc merito vis infinita ei est tribuenda, immo natura DEI vi iſta plenissime absoluitur.

Schol. Gradus perfectionis, qui actuositati diuinae tribuuntur, optime vel ratione intensionis, extensionis, & protensionis considerantur. Intensue aliquid perfectum dicitur, quando ens quoddam intrinſece omnia illa habet, quae ipſi poſſibilia ſunt, extensue, ſi nullum eorum deficit, quod ad ſtatum eius externum omni iure requiri videtur, protensue, ſi quoad omne tempus felicitas rei cuiusdam permanet, hi gradus vero perfectissimi, in nullo ente mundi huius adſpectabilis enumerandi ſunt, ſed ſoli DEo Enti ſupremo & independenti competunt, hinc vim quoque eius infinitam conſtituunt, nam etſi vis, ſi definiatur per niſum vel conatum agendi, ſive per tendentiam ſtatum ſuum continuo mutandi, proprie DEo tribui nequeat, vtpote qui nullum adtributum mera facultate ſed omnia per modum actus poſſidet (*Wolfi Theol. Nat. P. II. §. 78.*) attamen per eminentiam non repugnat vim de DEo praedicare (loc. cit.

§. 73.) in primis modo infinito, qui nullos agnoscit limites, ultra quos augeri amplius queat, quum igitur vis infinita & vita in D^Eo sere coincidunt, & ad eundem scopum collineant, naturam diuinam vtique efficiunt.

§. V.

*D*Eus ex vi sua infinita omni tempore se manifestat, & ad cognoscendum exhibere potest.

Demonstr. Actio enim ex vi constanter sequitur nisi eidem impedimenta quaedam sece obiciant (*Wolfi* Oontol. §. 728. *D*Eus vero tanquam Ens supremum & independens, fons & origo est omnium rerum, igitur summum & plenum dominium ei quoque in omnia competit, (*Wolfi* Theol. Nat. part. I. §. 963.) & huius vi potentiam suam illimitatam semper exercere potest, & quia continua gaudet actuositate (§. IIII.) eandem quoque nunc in tempore exercet actu, quodcunque autem creatum est, auxilio & conseruatione huius potentiae maxime indiget, nullo itaque modo fieri potest, ut res potentia limitata praeditae (quales tantummodo in hoc vniuerso deprehenduntur) sece obiciant auctori & domino vitae suae, nulla igitur vniuersaliter ratio obstat, quin *D*Eus se non omni tempore modo quocumque manifestaret.

§. VI.

Omnis DEI manifestatio miraculum dicendum est.

Demonstr. DEI manifestatio vim eius infinitam supponit, immo ortum suum inde tantummodo trahit. (§. praeced.) Vis autem DEI a vi huius vniuersi prorsus aliena est, & quam longissime distat, nullo hinc modo ex ea intelligibilis euadit, superior quoque omni euentui mundano exsistit, (§. II. & *Wolfi* Theol. Nat. P. I. §. 776.) quodcunque autem vires naturae huius excedit, miraculum adpellatur, omnis igitur diuina manifestatio dicendum erit miraculum.

Schol. Doctrinam de miraculis, superiore & praesenti saeculo mirum in modum eruditio in orbe exagitata, pergrato nobis compendio, ad legendum proposuit S. R. *Walchius*, in Lexico Philos. sub h. a. Notissimus ille *Spinza*, inter ceteros errores, mentem suam in hac quoque materia admodum peruer-

sam,

7

sam, satis superque prodidit, quum autem falsa substantiae definitio ab ipso excoxitata, praecipuum ei occasionem praeberit labendi, a via veritatis recedendi, & latebras hinc nescio unde habitas quaerendi, vid. Exc. Prof. Knutzen Diss. de Immater. mentis, p. 17. 18. maxime sane miror, qua fieri potuit ratione ut his non obstantibus Celeb. Hollmann testante Baumeistero in Metaph. p. 208. hanc defin. ceu optimam Substantiae suo systemati insereret sine grauissimo errandi periculo.

§. VII.

Reuelatio DEI per creationem huius vniuersi facta, (§. III. Sch. I.) dicitur mediata vel naturalis, omnis vero reuelationis modus, quem DEus post creationem huius mundi suscepit, immediata siue supernaturalis salutatur.

Schol. Quod posteriore reuelandi modum supernaturalem, priorem vero naturalem vocamus, minime hinc inde ex eorum terminis colligendum est, ac si binae haec relationes inter se maxime differant & prima hanc ob causam plane non sit miraculosa, nam cum creatio huius mundi miraculum verum utique efficiat (*Wolfii Theol. Nat. part. I. §. 768.*) evidens est, & hanc naturalem reuelationem vocari debere supernaturalem, quum vero semel haec contigit, siquidem mundum DEus uno eodemque actu produxit hodie nihil amplius creat nec creabit quidquam quamdiu hic mundus existit (l. c. §. 765. & §. 834.) posterior vero repetitis vicibus locum adhuc inueniat, differentia vero haec inter hos reuelandi modos prorsus non letissimis momenti, que autem a se inuicem differunt, diuersis quoque nominibus in philosophia insigniri debent (*Wolfii Logic. Discurs. praelim. §. 145.*) hinc consultum duximus, reuelationem ita distinguere, & quamvis haec vocabula miraculosum & supernaturale sint synonima & eamdem notionem significant, interim melioris ordinis gratia in nostra reuel. def. §. III. discerni possunt, ita ut sub voce, in miraculosa, prior modus reuelat. sub altera supernat. posterior intelligatur.

§. VIII.

DEus se & voluntatem suam duplice modo (§. praecc.) reuelare potest, & una posita quoque sequitur altera.

Demonstr.

Demonstr. DEus mundum hunc ad actum producendo secundum liberum suum decretum (*Wolfi Theol. Nat. part. II. §. 354.*) se & voluntatem suam, eiusdemque gloriam tanquam finem actionum suarum ultimum manifestauit, (l. c. §. 371.) ergo quoque potuit, nam ab actu ad posse V. C. sed ante hunc mundum non existit aliis, siquidem mundus tantummodo unus existit (*Wolfi Theol. Nat. part. I. §. 117.*) ergo haec reuelatio prima fuit, nunc vero conseruando ac prouidendo DEus huic vniuerso vires suas dare pergit (l. c. §. 841. 843.) & quidem necessario, quia DEus est immutabilis, itaque ante & post creationem mundi semper idem potentia manere debet, in hac autem creatione naturae leges DEus praescripsit (l. c. §. 825. 826.) & consequenter earum dominus & auctor exsistit, animae vero humanae tanquam entia creata & in mundo cum corporibus existentia quoque ad ordinem naturae huius vniuersi pertinent, legibus vel iisdem vel aliis quae logico-morales appellari sueuerunt, subiectae sunt (per pr. Pfych.) ita DEum quoque auctorem agnoscent, iam cum domini sit, vt ius suum exerceat, in leges, nempe pro lubitu eas immutandas, augendas (Cel. Gottscheds Welt-Wisheit §. 402. parte II. exemplum praebet Ius aggratiandi, vid. S. R. *Walchi Lexic. Phil. sub h. a.*) quae omnia in anima per reuelationem contingunt, quando nempe alias cogitationum situs ac ordo in serie perceptio-num exsistit, hinc DEus se immediate reuelare mouetur, & haec supernaturalis naturalem necessario sequitur. Q.E.D.

§. VIII.

In reuelationibus voluntas diuina enti intelligenti potissimum quidem ad cognoscendum proponitur, quia vero voluntas illa in se & sua natura imperscrutabilis est, (*Wolfi Theol. Nat. part. I. §. 398. 442.*) hinc accidit, vt limites nostrae cognitionis satis amplio gradu transcendat, & miraculosa euadat.

Imperscrutabilitas voluntatis DEI alias quoque ita adstrui potest. Omnis homo vniuersi ideam integrum simul intueri nequit (*Wolfi Psych. rat. §. 194.*) adeoque rei perfectionem & quid in suo genere optimum sit in relatione ad totum vniuersi sistema aegre diiudicare valet, sed motuum voluntatis diuinae semper

9

semper id est quod optimum, nemo ergo hominum penitus perficere ac certo cognoscere valet motuum voluntatis diuinac, enim uero voluntas nobis imperscrutabilis dicitur, si motua eiusdem nobis non fuerint perspecta, patet igitur, voluntatem diuinam omni homini imperscrutabilem esse.

§. X.

Omnes DEI actiones tendunt semper ad optimum, seu ad promouendam felicitatem generis humani & totius vniuersi, hinc quoque extraordinariae DEI actiones sive reuelationes non aliam ob causam sepe produnt, quam ut felicitas quaedam deficiens abundantissime alio bono compensetur, & sic omnia eo clariori adpareant splendore.

Demonstr. Ponamus contrarium, si reuelationes nullo modo aliquid conferrent ad bonitatem entium, tum sane DEus eligeret media fini suo ultimo minime conuenientia, sed hoc in sapientiam eius summam impingit, (*Wolfi Theol. Nat. part. I. §. 640.*) vt pote quae omnia ita constituit, ut mundus optimus perstaret immotus & certus contra omnes hominum malevolorum insultus & machinationes (conferri hic meretur V. S. *Leibnitii Theodicee ex edit. germ. Cel. Gottscheds*) hinc firmissima est veritas DEum in omnibus rebus creatis gloriam suam summam & maiestatem i. e. felicitatem ipsorum entium satis superque demonstrasse, & hinc res creatae omnes sunt specula perfectionum diuinarum (l.c. §. 785.)

§. XI.

Voluntas diuina supponit eius intellectum.

Demonstr. Etenim voluntas diuina versatur in exsequendis rebus illis, in quas ex obiecti repraesentati idea nititur & fertur, sed omnis repraesentatio ex intellectu oritur & vim eiusdem primariam abfoluit, (per pr. *Psych.*) hinc evidens, voluntatem diuinam intellectui diuino semper quasi superstructam esse, & connubio sanctissimo connexam.

§. XII.

Intellectus & Voluntas omnibus limitationibus superior DEI essentiam constituunt.

B

Demonstr.

Demonstr. Iuxta fanae rationis principia DEus optime definitur per spiritum a se , qui independens est , & omnium rerum auctor & causa existit , sed spiritus nomine nil aliud in philosophia venit , quam ens intellectu & voluntate libera praeditum (*Wolfi Psych. rat. §. 643.*) quum vero haec omnia primum illud constituant quod de spiritu concipi potest , & vnde cetera deriuari queunt , sed hoc essentia appellari solet , (*Wolfi Ontol. §. 168.*) hinc manifestum DEI essentiam constitui per eius intellectum & voluntatem nullis limitationibus obnoxiam.

§. XIII.

Omnis Reuelatio diuina in essentia DEI vnice continetur , vel ; in eadem Rationem Sufficientem & determinatam habet .

Demonstr. In omni reuelatione nobis aliquid ad cognoscendum proponitur (§. IX.) sed omnis cognitio in genere , sine ullo habito respectu , intellectus opus est & eius attributum , hinc reuelatio ex Intellectu diuino deriuanda , sed voluntas diuina semper cohaeret cum eius intellectu (§. XI.) voluntas autem & intellectus cum essentiam diuinam nobis ob oculos ponant , (§. praeced.) hinc patet , omnem reuelationem in essentia DEI fundatam esse , porro , reuelatio miracula supponit (§. IH.) miracula nemo nisi DEus patrare potest (*Wolfi Theol. Nat. P. I. §. 470.*) ergo reuelatio vnice in DEI essentia continet R. S.

Schol. Loquutione hac , in Essentia DEI continetur Reuelatio , qua etiam vsus est *Wolfius* §. 320. 308. Ontol. nil aliud indicatur , quam reuelationem ideo possibilem esse , quia DEus est spiritus & notio spiritus eius essentiam absolutat , (§. XII.) cum autem attributa spiritus , quae omnia DEO gradu absolute summo insint , potissimum huc loci praeter alia eiusdem attributa consideranda veniunt , hinc non inconsultum duxi , ipsius essentiae diuinae mentionem facere in §. Quod autem cognitio , ut in demonstratione ostensum , sit attributum intellectus , patet ex ipsa definitione , quam sane exactissimam suppeditauit Excell. Prof. *Christiani* , praceptor meus maxime colendus , in Dissert. De pugna appetitus & auerstationis , vbi §. I. inquit ; Cognitio est rei cuiuscunq; in mente repraesentatio , cuius mens sibi est

con-

conscia, quam definitionem in Schol. adiecit vberius explicauit
additis cum vindiciis.

§. XIII.

Necessitas absoluta ex essentia entis oritur, ac in eadem
prositus sita est.

Demonstr. Essentiae rerum consistunt in possibiliitate intrin-
seca siue in non repugnantia eorum, quae vna in iisdem insunt,
nec tamen per alia quae simul insunt, determinantur (*Wolfi*
Ontol. §. 143.) iam cum impossibile sit, ut idem simul sit & non
sit, fieri etiam non potest, vt eadem sibi mutuo repugnant,
quae simul sumta sibi mutuo non repugnant, et si per se inui-
cem non determinantur; nec simul determinantur per aliud
quidpiam, illa igitur non repugnantia necessaria est, conse-
quenter rerum essentiae necessariae sunt, quum vero ens in se
siue absolute spectari dicitur, si non adtendimus nisi ad essen-
tiam seu definitionem eiusdem, hinc ideo ens absolute necessa-
rium, quia essentia eius absolutae necessitatis est, quamobrem
liquet, omnem necessitatem rerum absolutam ex earum essentia
deriuandam esse. Q. E. D.

§. XV.

Reuelatio diuina (intelligo sub hac voce tantum veritates
reuelatas non vero *attum* reuel. vid. Sch. I. h. §.) est absolute
necessaria.

Demonstr. DEus se & voluntatem suam reuelare potest
(§. VIII.) ex vi sua infinita se quoque ad cognoscendum exhibe-
ret, vel manifestat, (§. V.) & quia sapientia eius requirit, ut
optimum in mundo & per reuelationes proueniat (§. X.) hinc
iure meritoque iam conclusio infertur, DEum reuelationes ex-
hibuisse, intellectus vero & voluntas DEI praecipue circa reue-
lationem dandam versantur, immo in iisdem reuelatio vnice
continetur (§. XIII.) haec vero adtributa quum essentiam diuina-
m constituant, (§. XII.) omnis vero essentia entis absolutae
sit necessitatis (§. XIII.) hinc patet, ipsam quoque reuelationem
ytpote in essentia diuina vnice fundatam, absolute esse necessa-
riam.

Schol. I. Ut omnis inconueniens huius §. explicatio eunte-
tur, notandum, reuelationem aliam esse pro *actu* sumtam, aliam
vero systematice acceptam, nimurum *actus* ille, per quem DEus
veritates quasdam hominibus immediate cognitas reddit, dici
solet quoque reuelatio, & in hanc §. praeced. digitum indicem
plane non intendimus, vt pote, quae hoc sensu est & manebit
libera, sed nobis potius negotiis est, cum reuelatione systemati-
ca quae ipsas complectitur *veritates*, a DEo hominibus patefa-
tas, & has esse absolute necessarias demonstr. iam euictum est.

Schol. II. Reuelationis necessitatem absolutam (German.
unumgängliche Nothwendigkeit) sub quadam conditione (quia
§. 26. l.c. sub defin. Reuel. veritates & actum simul compre-
hendit) demonstratam dedit Excell. Prof. Knutzen in libro iam
laudato p. 38. seq. sed quum Vir Celeberrimus possibilitem
huius reuelationis quoque euincat p. 50. & Wolfius in Theol.
Nat. P. I. §. 449. coll. §. 193. absolutam reuelationis possibili-
tatem ostendit, quod vero possibile est, & intrinsecam habet
possibilitatem sive essentiam id absolute necessario sit possibile
(Wolfi Ontol. §. 286. 303.) hinc euident, reuelationem quia
possibilis & teste historica experientia iam quaedam adest, ab
actu ad posse autem valet C. ergo absolute necessariam esse,
sed nemo hinc inferre potest, ergo reuelatio est Ens a se, nam
inter necessitatem absolute necessariam entis a se, & inter ne-
cessitatem absolute necess. Reuelationis maximum intercedit di-
scrimen, nam vti omnes realitates DEo competit in gradu
absolute summo, (§. I.) sic etiam necessitas haec absoluta, sane
figurae geometricae & aliae veritates mathematicae in publicis
eruditorum scriptis pro entibus absolute necessariis semper
vendantur, sed hucusque vix quisquam inde consequentias
DEo aduersas deduxit. Absoluta nempe necessitas in DEo tan-
quam Ente infinito denotat necessitatem absolute necessariam
in existendo & essendo, in entibus vero finitis e.g. mundo,
animabus et. tantummodo per princip. contradictionis necessitas
absoluta in essendo adesse potest.

Schol. III. Existentialia igitur & necessitate diuinae Reuela-
tionis demonstrata, leges methodi consueto more suadent, vt
iam

iam criteria eiusdem Reuel. genuina exponantur, & vera a falsis ac spuriis sedulo discernantur, quod opus nunc exsequi breuiissime adgredimur, ne nimia criteriorum recensione videamur ex illorum numero esse, qui res & earum pondera non ex vi sed ex multitudine argumentorum aestimare solent, quasi, vel vnicum inuincibile argumentum & criterium non praestaret centum rationibus parum probatis; Decem Criteria sese iam subiiciunt L. B. censurae & iudicio.

§. XVI.

Criterium dicitur omne rei intrinsecum, vnde agnoscitur, & ab aliis distingui potest. Criteria reuelationis ergo erunt omnes notae & characteres, quibus reuelatio iudeorum & christianorum, a coeteris, quae in mundo pro reuelationibus diuinis venditantur, sese optime discernit, & caput suum solis instar radiantis extollit.

Schol. Notissimum est Gentiles quoque & Muhammedanos suas cuilibet sectae proprias iactare reuelationes, quae ex parte in quibusdam Deorum & Dearum fabulosis historiis ac fictionibus ad vulgum imperitum defraudandum compositis inuolutae deprehenduntur, maiori vero mole, dogmatibus & vitae regulis propositae adparent in libro peculiari, Alcoran dicto, interim de harum rerum auctoribus sat multis & praeclaris consulendus est Vir Celeb. b. m. *Fabricius* in Syllabo scriptorum de Veritate R. C. A. 1725. edit. nec non Celeb. Goettingensium Philos. *Hollmann* in libro Ueberzeugenden Beweis von GOtt und der heiligen Schrift. ed. 1733.

§. XVII.

Diuinae reuelationis criteria, commode spectantur vel qua materiale, vel qua formale, in materiali, tam ad veritates reuelatas ipsas, (harum criteria tradit §. XVIII--XXI.) quam ad modum, homines de illis conuincendi (§. XXII.) adtendi potest, in formali, solummodo circumstantias & modum propoundingi consideramus. (§. XXII I--XXVI.)

§. XVIII.

Non potest DEus aliquid velle sine R. S. siue sine motiuis (*Wolfi Theol. Nat. P. I. §. 312.*) quo circa nec sine ratione miraculum

raculum patrare potest, sed reuelatio miracula in se continet (§. III. VI. IX.) hinc nec potest DEus sine R. S. hominibus reuelationem tradere, adeoque si talem det arduae rationes adsint, sapientia postulat. Reuelatio itaque vera eiusmodi contineat veritates, quae homini scitu admodum sunt necessariae, quasque nec ratione nec experientia omni licet studio exhibito (quae veritates reuelatae vno alias nomine mysteria vocari solent) sibi acquirere potest, desit enim alterutrum horum requisitorum, ratio nulla adest, cur DEus eas immediate reuelet, quod quum aperte repugnet citatis & demonstratis in *Wolffii Theol. Nat.* falsum est, & omnino concedendum, Veritates in reuelatione homini scitu necessarias & non aliunde hauriendas esse. Id quod etiam fluit ex imperscrutabilitate Voluntatis diuinæ. (III. IX.)

§. XVIII.

Nostram felicitatem DEus per reuelationem semper intendit (§. X.) sed quum experientia & animi nostri profunda consideratio nos edoceat, miserrimam totius humani generis sub domino peccati & poena ideo immissa iacentis conditionem (v. Excell. Prof. *Knutzens Tr.* von der Warheit der C.R. p. 11. seq. & S.R. *Walchii Lexic. Philos.* f. v. Erb-Sünde) hinc reuelatio nobis viam nemini inaccessam ostendat hunc statum infeliciem cum felicissimo permutandi.

§. XX.

Ex ipso contradictionis principio patet veritates contradictiones esse non posse, quodsi igitur veritas quaedam rationis vel experientiae subsidio iam sit demonstrata, fieri non potest, vt DEus illi contrarium in reuelatione adstruat, nam DEus quoque auctor est veritatum rationis, & si aduersus easdem pugnaret, illam plane euerteret, sed DEus fecit omnia optime in mundo (§. X.) hinc impossibile, vt veritati rationis a DEo contrarietur, multo minus DEus sibi ipse in reuelatione contradicet, & veritates ex diametro sibi mutuo oppositas in eadem admittet,

§. XXI.

Quicunque sibi aliquid reuelatum dicit, & certo ostendi potest, eum hoc peruenire potuisse per naturalem facultatum
animæ

animaे vsum , pro diuinitus reuelato illud non est habendum,
nam reuelatio est actus miraculosus (§. III.) miracula vero de-
pendent a virium omnium caufa primaria & auctore , opus igi-
tur solius DEI sunt (*Wolfi Theol. Nat. P. I. §. 470.*)

Scholion. Memorabili admodum exemplo vsum quoque legi-
timus huius criterii illustrari & comprobari potest ex III. *Wolfi*
Theol. Nat. part. I. §. 468. in Scholio.

§. XXII.

Reuelatio vere diuina tradit veritates supra rationem
(§. XVIII.) Cum vero nemo mortalium eam sibi auctoritatem
arrogare possit , vt nudis ipsius verbis citra omnem dubitatio-
nem exemplo fides adhibeat, hinc necesse , vt ii , qui DEI re-
uelationem aliis manifestant , eos alia ratione de veritate possint
conuincere . Sed quia miracula tanquam effectus supernaturales
& solius DEI (§. praec.) animos hominum optime & breuissimo
tempore teste experientia occupant & ad adsensum veritati
dandum pertrahunt, hinc opus , vt facultate miracula praestandi
donentur , qui reuelationem diuinitus acceptam aliis annunciant,
vel vt potius ipse DEus ad voluntatem illorum hominum edat
euentus naturam superantes vniuersam. (W. I. c. §. 472.)

§. XXIII.

Superflua miracula DEus nunquam praefat (*Wolfi Theol.*
Nat. P. I. §. 489.) quantum ergo in ipsa reuelatione via naturalis
aliquo modo retineri poterit , tantum quoque minor exsistet mi-
raculorum numerus , nam alias , si DEus in actu reuelandi mira-
culoſe praefaret id , quod naturaliter poterat obtineri , super-
fluum ederet miraculum , quod , uti dictum , fieri nequit.

§. XXIII.

DEus homini reuelationem suppeditans , eo id facit consi-
lio , vt eundem ad certarum veritatum cognitionem ducat &
felicem reddit (*§. IX. X.*) quodsi illa vero non ita adornata sit,
vt homo mentem DEI reuelantis inde intelligere valeat , adeo-
que vel nullas vel erroneas sibi formet notiones , finis diuinus
non obtinetur eam ob cauſam , quod DEus ad eundem medio
minus

minus conueniente vslis sit , qui conuenientiore tamen vti potuissest , sed hoc sapientiae diuinæ repugnat , ergo hoc falsum & prius verum , Ill. *Wolfius* idem quoque multis praeter morem suum rationibus stabiluit in Theol. Nat. P. I. §. 491 -- 497.

§. XXV.

Felicitatis nostrae DEus semper cupidus , reuelationem suppeditauit (§. X.) sed quum totum genus humanum huius felicitatis aequali modo indigens sit (§. XVIII.) nulla ratio est , cur DEus maiores ex genere hominum hanc felicitatem omnibus modis celare , posteris autem tantum manifestare velit , vera reuelatio igitur nostris temporibus non debet esse noua sed ratione saltim materiae antiquissima .

§. XXVI.

DEus omne id tantummodo vult , quod ipsum decet , seu quod ipsius essentiae & attributis nullo modo repugnet , (*Wolfii* Theol. Nat. P. I. §. 335.) hinc si reuelatio contineat , diuinis perfectionibus inconueniens quoddam & summam arguens imperfectionem , firmissime concludendum , talem reuelationem non auctorem habere DEum T. O. M. sed potius ab hominibus confictam esse & illustre praebere exemplum , quanta malorum congeries tenebrarum instar densissimarum in genus hominum incombant , & hisce miserrimis igitur nil prius nil antiquius esse debeat genuina DEI reuelatione in Verbo diuino satis superque expressa & contenta .

Et hic subsisto , arbitratus , ea , quae iam prolatas sunt , sufficere ad colloquium litterarium publice instituendum , nil igitur superest , quam vt me & meorum conatuum vltiorem successum L. B. fauori ac humanitati etiam atque etiam commendatum cupiam .



99 4 6988



ursprüngl. Stk. 1 nicht gezählt, da
Taläl nicht zu ermitteln

1317
V078

Retr. ✓

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres
Inches

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

PICIS DIVINIS
MPLISSIMAE FACULTATIS
PHILOSOPHICAE
PTIONE IN EAMDEM,
THEOLOGIA NATVRALI
DE
SITATE ET
RIIS DIVINAE
ELATIONIS,
XXI. OCTOBR. HORA VIII--XII.
IN AVD. PHIL.
BLICE DEFENDET
JNES AVGVSTVS
VBECK,
RESPONDENTE
ID BRVHN,
MELA-BORVSSO.
T S. THEOL. STVD.
LITTERIS REVSNERIANIS.